



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quare dicitur æqualitas esse in filio. K

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

& dicti sunt Patripassiani, quia dicunt patrē fuisse passum. Arriani vero dicunt aliud patrē esse, aliud filium: nō vnā substantiā, sed duas: patrē maiorem, filium minorē. Noli hoc dicere tu Catholice. In medio ergo nauiga, vtrunq; periculosum latus deuita: & dic, Pater pater est, & fili<sup>9</sup> filius est: Alius pater, alius filius: sed non aliud. immo hoc ipsum, quia vnus Deus, Ecce ostensum est quare vnitas in patre esse dicatur, cum tres illi vnū sint.

*Quare dicatur esse equalitas in filio, cum sit vna equalitas trium.*

NUNC videmus quare equalitas dicatur esse in filio, cum vna & summa equalitas sit triū. Hoc ideo forte dictum est; quia fili<sup>9</sup> genitus est à patre equalis gignenti, & dono q; ab vtroq; procedit: & ideo illa tria dicuntur esse equalia propter filium. Filius n. habet à patre, vt sit ei equalis & spiritui S. & spiritus sanctus ab vtroq; habet, vt sit equalis vtriq; Hoc autem sine assertionis supercilio & maioris intelligentiæ præiudicio dicimus, malentes in apertione tā clausorum sermonum peritiores audire, quam aliquid aliis influere.

*Quare in spiritu sancto dicitur esse vtriusq; concordia vel connexio.*

QVOD autem in spiritu S. dicitur esse vtriusq; concordia, & per eum omnia connexa, facilius est intelligentia nobis præmissa ad mētem reuocantibus. Supra enim secundum auctoritates sanctorum dictum est, quod spirit<sup>9</sup> sanctus amor est, quo pater diligit filium, & filius patrem. Recte ergo spiritus sanctus dicitur connexio vel concordia patris & filii, & per eum omnia connexa. Vnde August. in quinto lib. de Trinit. Communio quædam consubstantialis patris & filii est, amborum spiritus sanctus. Idem in septimo libro de Trinit. spiritus sanctus est summa charitas vtrumq; cōiungens, nosque subiungens.

Cap. 11. ad  
finem.

Cap. 3. versus  
finem.

VTRVM